



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. V. Solvuntur Objectiones contra corollaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

constitutivis involvunt negationes, quæ non semper reddunt id melius. e. g. homo peccator, supposito præsertim, quod peccaverit pura omissione libera, non est quid melius, nec physice, quam solus homo. Secundò, si terminus intrinsecus unus sit infinitum simpliciter, non potest totum esse melius, quam ille terminus solus.

148. Dices 2. DEUS & creatura sunt pluribona, quam solus DEUS: ergo etiam sunt plus boni. Confirm. Complexum illud non est minus DEO, nec æquale: ergo est majus. Resp. neg. conseq. *Plus boni* significat majorem æstimabilitatem, *plura bona* significat tantum numerum, si ve plura subjecta bona. Aliqui admittunt DEUM, & creaturam esse plus boni *extensive*, seu ut alii loquuntur, *materialiter*, quamvis non *intensive*, seu *formaliter*. Sed Izquierdo, Gonet, & Quirós hunc modum loquendi, saltem si dicatur *extensive*, rejiciunt; quia, ajunt, *plus boni* non significat tantum pluralitatem numericam, sed majorem æstimabilitatem. Ad confirm. aliquid dicunt, complexum illud esse minus boni, ed quod creatura DEO adjungat imperfectionem; sed non video, cur minuatur bonitas DEI per additionem creaturæ, Dein, sicut Deus absorbet omnem bonitatem, ita eminenter compensat omnem defectum. Quare nego secundam partem antecedentis, & dico, quod sit quoad æstimabilitatem æquale.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones contra Corollaria.

149. Ob. 1. contra æternitatem DEI. *Æternitas* ex Boëtio de consol. Phil. prof. 6. lib. 5. est *interminabilis vita tota simul*, & perfecta possessio, vel duratio tota simul, & quoddam nunc stans: sed hæc non convenit DEO: ergo. prob. mi. DEUS in Scripturis dicitur fuisse, esse, & futurus esse: sic Apoc. 4. v. 8. dicitur: *Dominus DEUS omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Daniel. 7. v. 9. vocatur *Antiquus dierum*: ergo. Resp. neg. mi. ad prob. neg. conseq. Phrases illæ non significant successionem temporis in DEO, sed in creaturis coexistentibus; vel significant tantum, DEUM eminenter continere omnes differentias temporis; DEUS enim non existit in tempore, quod sit intrinseca mensura ejus durationis: neque propterea nunquam existit, sed semper, sine omni tamen durationis luccessione.

150. Unde illud Psal. 101. v. 28. de DEO: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* pulcherrimè exponit D. Augustinus l. 11. Confess. c. 13. *Anni tui nec eunt, nec veniunt; ... anni tui omnes simul stant; quoniam stant: nec euntes à venientibus excluduntur; quia non transeunt: isti autem nostri omnes erunt, cum omnes non erunt. Anni tui dies unus, & dies tuus non quotidie, sed hodie; quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque enim succedit hesternò. Hodiernus tuus æternitas, ideo coæternum genuisti, cui dixisti: Ego hodie genui te. Et S. Anselmus in Prologo c. 19. De æternitate tua nihil præterit, ut jam non sit: nec aliquid futurum est, quasi nondum sit: non ergo fuisti heri, aut eris cras: sed heri, & hodie, & cras es: imò non heri, nec hodie, nec cras: sed simpliciter es extra omne tempus.*

151. Dices 1. Ergo DEUS nunc est æternus,

& nunc semper existit. Resp. dist. illat. intelligendo *nunc temporis* creaturarum, ita ut per hoc nunc sit æternus. neg. illat. ita ut per *nunc æternitatis* suæ sit æternus, & semper existat. conc. Nec inferas: ergo non existit heri. Resp. enim neg. illat. cum enim æternitas ejus, eminenter contineat omnè tempus, & cuique coexistat, in hoc sensu communiter accepto dicitur DEUS heri existisse, quamvis non ita extiterit, ut ejus æternitas, ut ita dicam, hesternæ, non sit etiam hodie: scilicet in DEO non datur præteritum, sed tantum in creaturis coexistentibus, quibus quia comparamus frequenter æternitatem DEI, hinc sæpe de ea loquimur, sicut ferme de creaturis durantibus; quia aliter vix capimus.

152. Reverà autem colligit DEUS in unum indivisibile, perpetuo stans, & immutabile *nunc* modo quodam eminentissimo omnes suas perfectiones, cognitiones, volitiones, consilia, decreta, gaudia &c. quæ in creaturis sibi succedunt. Et sicut per indivisibilem immensitatem est hic, & illic, & isthic; sic per indivisibilem æternitatem est nunc, hodie, heri, & cras. Si quæras, quomodo ergo respectu DEI sint præterita, vel futura aliqua creaturæ? Resp. denominationem præteriti, vel futuri in creaturis provenire non à sola æternitate DEI semper stante, sed à successivis creaturarum durationibus, prius existentibus; & postea non amplius existentibus, vel primum exituris, & propter has etiam respectu DEI dici creaturas præteritas, vel futuras.

153. Dices 2. Ergo omnes creaturæ coexistunt toti æternitati: ergo sunt æternæ. Resp. dist. ant. coexistunt toti totaliter. neg. ant. partialiter. conc. ant. & neg. conseq. Licet qualibet creatura coexistat toti immensitati, non est ideo immensa: item, quamvis pes coexistat, & uniatur immediatè toti animæ rationali, non tamen existit ubique, ubi anima, e. g. non existit in capite, neque huic immediatè unitur. Neque sunt contradictoria, coexistere toti æternitati, & non totaliter, ut patet in exemplis immensitatis, & animæ modò allatis. Ratio etiam est; quia tantum significatur, coexistere toti æternitati durationem hodiernam Petri, & non crastinam; pro hoc tempore, & non pro alio; pro hoc instanti, non alio: coexistere illi tantum, & non amplius &c. quæ propositiones contradictoriæ non sunt; cum præsertim verificentur de durationibus creatis distinctis, quales sunt hodierna, & crastina, tamdiu durans, & amplius durans &c.

154. Ob. 2. contra immensitatem DEI. Scripturæ sæpe assignant DEO locum: sic Isa. 66. v. 1. *Cælum sedes mea*: ergo non est ubique. Confirm. Si esset DEUS immensus, non magis esset in cælo, quam in inferno: hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. conseq. Ratio patebit ex dicendis ad confirmationem, ad quam resp. dist. mai. non magis ratione immensitatis. conc. maj. ex alio capite. neg. mai. & dist. sic mi. neg. conseq. DEUS dicitur specialiter esse in loco: vel quia specialiter ibi operatur, & magis ostendit suam maiestatem, ac liberalitatem, ut in cælo: vel quia magis ibi colitur, ut in templo: vel magis amatur, ut in anima iusti: quia tamen hæc res multum pendet ex usu loquendi, etiam hic debet attendi. Sic, licet etiam sit in inferno per vindictam, non

tamen est usus dicendi simpliciter absque addito, DEUM esse in inferno; fortè quia ibi non operatur poenas ex sua inclinatione, sed quasi tractus à malitia damnatorum.

155. Ob. 3. Si DEUS esset ubique, esset localiter in spatio: hoc autem est falsum, & negatur etiam à SS. PP. ergo. Confirm. Si DEUS tantum condidisset granum sinapis, aut milii, & illi inexistet, esset ubique, & tamen non esset immensus: ergo ex eo, quod sit ubique, non sequitur esse immensum. Resp. neg. ma. localiter enim esse in spatio solet significare, esse alicubi per ubicationem accidentalem, & contactum quantitatis, quæ DEO non competunt. SS. PP. autem tantum negant, DEUM esse in loco circumscriptivè, vel definitivè, ita, ut non sit extra illum locum, quod nequaquam asserimus. Ad confir. dist. ant. non esset immensus ratione præsentia in eo grano formaliter acceptæ. conc. ant. ratione præsentia realiter acceptæ. neg. ant. & conseq. DEUS jam fuit immensus ante mundum conditum, ubi adhuc nihil fuit creatum: quare posset etiam esse immensus, etsi tantum daretur granum sinapis, non quidem ratione præsentia illius, formaliter tantum acceptæ, sed realiter acceptæ, quæ est immensitas DEI exigens esse ubique, ubi aliquid creatum existit pro quacunque temporis differentia, aut etiam pro quacunque DEI providentia.

156. Dices: Juxta nos DEUS debet etiam esse extra mundum in spatiis imaginariis: sed non est in illis: ergo. ma. patet ex eo, quod mundus non sit immensus; adeoque neque DEUS esset, si huic tantum adæquaretur. mi. prob. Spatia imaginaria realiter nihil sunt: ergo DEUS non potest illis esse realiter intimè præsens. Obiectio hæc multum habet quæstionis de nomine. Certum est, DEUM extra mundum non coexistere actu spatiis imaginariis; nam coexistentia dicit utramque existentiam, quæ cum deficiat ex parte spatiorum, etiam deficit coexistentia: sed etiam certum est, immensitatem DEI æquivalere infinitis adhuc possibilibus locis, ita ut quandocunque locus de novo daretur, statim DEUS illi esset præsens, absque ulla sui mutatione: sicut scilicet æternitas DEI æquivalere infinitis durationibus, & absque ulla sui mutatione erit præsens Antichristo, quandocunque hic dabitur.

157. Verbo, præsentia, & coexistentia dicunt duos terminos sibi præsentis, aut coexistentes: unus, scilicet DEUS, datur: alter, id est spatia, non dantur: an autem dato tantum uno termino possit dici, quod jam denominativè falsum detur denominatio DEI præsentis, vel coexistentis, quæstio est multum habens de nomine, in qua discrepant graves auctores. Suarez affirmat, Vasquez negat, SS. P. P. adduci uirque possunt. Pro affirmativa S. Augustinus l. 11. de civit. c. 5. sic loquitur: *An forte substantiam DEI, quam nec includunt, nec determinant Philosophi, nec descendunt loco, sed eam, sicut de DEO sentire dignum est, fatentur incorporea præsentia ubique totam, à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, & uno tantum, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam?* S. Thomas quodlibet 11. q. 1. a. 1. in corp. ait: *DEUS non solum est in illis, quæ sunt, fuerunt, & erunt; sed etiam in illis, quæ possunt*

imaginari esse. Pro negativa stat Tertull. c. 5. *advers. Praxeam* ajens: *Ante omnia enim DEUS erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.* S. Bernardus l. 5. de consideratione. c. 6. *Ubi erat, antequam mundus fieret? ibi est. Non est, quod quaeras ultra, ubi erat. Præter ipsum nihil erat: ergo in se ipso erat.* Adducitur etiam S. Augustinus in Psal. 122. dicens: *Antequam faceret DEUS cælum & terram, ubi habitabat DEUS? in se habitabat: In forma vel dist. ma. sic: esset in illis formaliter. neg. ma. fundamentaliter. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. vel neg. ma. quia saltem id non necessarium sequitur; etsi enim DEUS non foret in spatiis illis, modò esset in seipso, jam esset immensus.*

158. Ob. 4. contra omnipotentiam DEI. Si DEUS esset omnipotens, posset producere effectus categorematicè infinitos: sed non potest hos producere: ergo. Resp. neg. ma. Omnipotentia non dicit potentiam producendi effectus impossibiles, quales probabilis sunt categorematicè infiniti: sed tantum dicit potentiam ad effectus possibiles, seu syncategorematicè infinitos. Neque debet dari omnimoda, seu, ut vocatur, arithmetica proportio inter causam increatam, & effectum ejus; aliàs deberet posse ad extra producere effectum increatum: sufficit ergo proportio suo modo geometrica. Dices: si essent creaturæ categorematicè infinitæ, possent producere effectus categorematicè infinitos: ergo multò magis hæc potentia DEO tribuenda est. Resp. om. ant. neg. conf. Ex una Chimæra sequeretur altera. Interim tamen semper est verum, DEUM plus posse, quam omnes creaturæ possint in omni hypothesi possibili.

159. Ob. 5. contra simplicitatem DEI. In DEO datur distinctio virtualis inter naturam, ac personas, vel inter attributa, & essentiam: ergo datur etiam compositio. Confirm. In DEO dantur accidentia: e. g. Sapientia, Justitia &c. ergo debet dari accidentalis compositio. Resp. om. ant. de quo suo loco, neg. conseq. Distinctio virtualis non est reverà aliqua distinctio, sed tantum æquivalentia distinctionis in ordine ad prædicata contradictoria; neque tollit identitatem cum summa simplicitate: adeoque non affert ullam realem compositionem. Ad confirm. neg. ant. quæ enim in creatis sunt accidentia propter ipsam imperfectionem creaturarum, sunt in DEO realiter ipsa essentia physica. Neque etiam verum est, in creatis meliora esse composita simplicibus; nam, cæteris paribus, simplicia sunt meliora; melior est enim Angelus, quam homo.

160. Ob. 6. contra immutabilitatem DEI. Etsi DEUS non possit moveri ab alio, potest tamen moveri à se ipso, & juxta S. Augustinum l. 8. in Gen. c. 20. se movet: ergo est mobilis, seu mutabilis. Confirm. DEUS ex non creante factus est creans: ergo est mutatus. Resp. neg. ant. moveri enim à se significat, aliquid de novo in se producere, & recipere, sicut nos producimus, & recipimus nostras cognitiones: at DEUS nihil de novo in se producit, aut recipit. S. Augustinus non vult, DEUM se movere in sensu nostro (in quo motus non fit sine successione temporis; nam S. Aug. loc. cit. clare dicit, quod Creator moveatur se sine tempore, & loco) sed tantum in sensu Platónico, in quo dicitur motus omnis actus, etiam vitalis, identificatus potentia: qui modus loquen-

loquendi, teste Esparza, est jam antiquatus in scholis. Ad confirm. neg. conseq. actio creativa, cum sit actio ad extra, non immutat principium creans, sed tantum effectum creatum.

161. Ob. 7. contra unitatem DEI. Materia prima non fit ex alio: ergo est ens à se: ergo saltem dantur duo entia à se. Confirm. Deitas, sicut est infinite bona, ita debet esse infinite communicabilis: ergo debent dari infiniti Dii. Resp. neg. conseq. Non quidem ex alio, tanquam priore subiecto, fit materia, sicut nec anima rationalis: at fit ab alio, scilicet DEO. Ad confirm. neg. conseq. Sufficit, si ad intra infinite se communicet tribus SS. Personis. Quod si etiam se ad intra communicaret infinitis Personis, tamen non forent infiniti Dii. Quod autem se communicet tantum tribus, & non pluribus, potissimum desumendum est ex fide, cui alia congruentia ex ratione accedunt, de quibus *tr. de Trinitate* agi solet.

162. Ob. 8. Plures, imò ferme omnes gentes coluerunt plures Deos: ergo, si errassent, natura eos induxisset in errorem; nam, quod universaliter fit, à natura oriri censendum est: atqui natura non potest inclinare in errorem: ergo. Resp. dist. ant. coluerunt extrinsecè, & oretenus. om. ant. mente, & animo sincero, subdisting. minus sapientes, vel rudissimi. om. sapientes. neg. ant. & conseq. Certè antiqui Philosophi DEUM unum esse agnoverunt, ut ostendit S. Justinus *M. in oratione Paraneica, seu Paranesi ad gentes circa medium de pluribus inferioribus*, & maxime de Platone, quem tamen ait, veritatem, ne sibi accideret, quod Socrati, scilicet, ut cogere cicutam bibere, postea plures DEOS docuisse. Seneca *de beata vita sub finem* etiam hac de causa Aristotelem Athenis fugisse tradit, quamvis alii aliter de ejus fuga sentiant. Origenes *l. 7. contra Celsum circa finem* testatur, Peripateticos, quamvis unum DEUM nōsent, tamen se attemperasse opinionibus vulgi, & simulasse adorationem simulacrorum; quod idem Seneca S. Augustinus *l. 6. de civit. c. 10.* exprobrat: Platonici autem *l. 10. c. 1.* & penè cunctis Philosophis Josephus Judeus *l. 2. contra Appionem.* videatur Raynaudus *Theologie naturalis distinct. 7. q. 1. a. 1.*

163. Deim tam absurdos finxere Deos, ut eos contempsisse videantur: certè testatur Arnobius *l. 3. adversus gentiles*, suo tempore mississe indignanter aliquos Ethnicos contra Ciceronis de natura Deorum libros, & dixisse: oportere statui per Senatum, aboleantur ut hæc scripta, quibus Christiana religio comprobetur, & vetustatis opprimatur autoritas, quod ex eodem autore etiam refert Baronius *ad an. Chri. 143.* Adde, quod vel vulgus etiam natura unum DEUM doceat: ita testatur Tertullianus *in Apologetico c. 17.* dicens: Anima DEUM nominat: hoc solo, quia propriè verus hic unus DEUS, bonus, & magnus: & quod DEUS dederit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illud: DEUS videt: & DEO commendo: & DEUS mihi reddet. o testimonium anime naturaliter Christiane!

164. Dices. 1. Polytheismus est antiquissimus, & durat adhuc: atqui error non potest tam diu durare: ergo. Resp. Ante diluvium per bis mille circiter annos probabiliter nemo idololatra fuit. Dein fuit sæpe mutatus cultus idololatricus, aut

Dii; nec error fuit adeo universalis, ut dictum *n. 162.* quod autem hic error colendi plures Deos in genere durarit, maxime apud plebem, causa fuere corruptissimi mores, ob quos DEUS etiam aliquos Sapientes tradidit in reprobam sensum, ut habet Apostolus *ad Rom. 1. v. 28.* & quibus ut excusationem prætexerent, Deos etiam turpissimos sibi finxerunt. Accessit licentia Pictorum & Poëtarum, qui rudes deceperunt: item ambitio Regum, ac adulatio subditorum, honores Divinos Principibus suis deferentium. Accessit pseudopolitia Principum, ex religionis mutatione turbas in regnis timentium. Et ad hæc non natura, sed perversus genius homines induxit.

165. Dices 2. Juxta dicta Ethnici non fuere idololatra, nisi oretenus, & coluerunt unum DEUM; reliquos autem coluerunt, ut nos colimus SS. Coelites. Resp. Inprimis multi verè etiam interius Deos coluerunt, & quidem etiam ligneos, vel lapideos. Sic statua Belis apud Danielelem putata fuit comedere, & consequenter vivere: item Draco apud eundem: item statua aliorum gentilium, præsertim quæ ope demonis locuta sunt, vel aliud prodigium fecerunt: e.g. Palladium Trojanum, serpens Epidaurius: item Vizlibuzli Mexicanorum, cuius ori infundi debebat sanguis occisorum infantium. Attamen negari non potest, quod multi ex Ethnicis, saltem ex sapientioribus, tantum oretenus fuerint idololatra; at non propterea minores Deos coluerunt, ut nos colimus Sanctos; nam vel eos non coluerunt, vel coluerunt ut in aliquo genere supremos. Certè plurimi non coluerunt aliquem DEUM, ut decebat verum; nam licet Jovem facerent Deorum supremum, non tamen credebant Monarcham plena potestate præditum; verum indigentem aliis Diis, quasi regis Satrapis, nec potentem absque horum ope omnia efficere. Dein aliqui quosdam saltem in aliquo genere credidè supra Jovem, quem voluerunt à Cupidine sapius victum. Magnum insuper est inter nos, ac ipsos discrimen in hoc, quod ipsi tanquam minores Deos coluerint homines pessimos, passionibus inordinatissimis subiectos: insuper in eo quod DEO, etiam supremo, affinxerint prædicata irrationabilia, e.g. necessitatem in agendo, vel limitatam scientiam, & imperfectam potentiam, dum negarunt ei potestatem creandi &c.

166. Ob. 9. Etiam si essent plures Dii, tamen non turbaretur ordo universi: ergo nostra probatio est nulla. prob. ant. Posset dici, quod omnes essent optimi, ac sapientissimi, adeoque idem semper liberè vellent. Resp. neg. ant. vel saltem neg. quod non posset turbari. Vel enim unus prius naturā aliquid veller, & determinaret, reliqui autem deberent eam determinationem sequi, & isti essent subditi, certè imperfecti, consequenter nullatenus Dii: vel casu omnes convenirent in idem, & est incredibile, quod hoc futurum sit semper; cum casus sit incertus, atque inconstans: sed & hoc ipsum est absurdum de Diis dicere: præterquam quod etiam sit moraliter impossibile, ut casu semper conveniant duo entia libera ad idem semper volendum in innumerabilibus circumstantiis, præsertim cum voluntates, quod sunt potentiores, eò facilius discerpent.

167. Neque ratione sapientiæ, aut bonitatis

ris deberent semper convenire; nam infinitis vicibus esset æquè bonum, ac sapiens aliquid facere, quàm omittere, & vicissim. Certè non minùs prudenter fecisset DEUS, si non creasset hunc mundum, quàm cum creaverit, ejusque voluntas æquè fuisset bona, atque laudabilis: sicut etiam æqualiter prudenter, & bene fecit non creando alterum mundum, quàm si eum creasset. Imò sepe regula honestatis in aliqua actione est ipsa voluntas Divina: nec DEUS tenetur semper facere, quod est optimum in se, seu, ut aliqui loquuntur, materialiter, sed quod est optimum in his circumstantiis, inter quas sæpius est ipsa voluntas Divina, & ab hujus beneplacito denominatur res hinc, & nunc optima: ergo sapientia, & bonitas eos non infallibiliter, & necessariò redderet concordēs, sed saltem posset universi gubernatio turbari. Dein, stante libertate plurium, posset saltem sibi invicem contradicere, aut se mutuo impedire, consequenter à se invicem penderent, essentque imperfecti. Tandem, si habent eandem semper voluntatem, non est ratio Deos multiplicandi, sicut cum SS. tres Personæ habeant eundem intellectum, ac voluntatem, sunt unus DEUS. videatur etiam Arriaga de SS. Trinitate disp. 42. n. 43.

168. Dices, posse adstrui aliquam sympathiam inter Deos, ratione cujus semper conveniant. Resp. vel hæc tolleretur libertatem, & redderet Deos imperfectos: vel non tolleretur, & redeunt priora argumenta. Dices: posset dici, quod quilibet gubernaret distinctum mundum. Resp. in primis, hoc Polytheistas non velle. Dein vel essent omnipotentes, & immensi, vel non? Si secundum; non essent Dii. Si primum; tunc quilibet esset ubique: certè posset semper sibi creare novos ac novos mundos, donec contineretur mundum alterius, & dominium etiam ibi exercere tentaret.

Solet etiam hinc agitari quæstio, an inter attributa Divina detur distinctio virtualis, aut formalis ex natura rei: & utraque communiter à nostris negatur, ac purè formalis tantum admittitur. Difficultates obijci solitæ, aut faciliè solvantur ex auditis in Logica de distinctione inter intellectum, & voluntatem: aut tangunt mysterium SS. Trinitatis: quare, usquedum de eo agamus, quæstionem hanc differimus.

DISPUTATIO II.

De Cognoscibilitate DEI.

169. **E** Gimus hucusque de essentia, existentia, ac aliis perfectionibus Divinis: jam agendum de earundem cognoscibilitate respectu creaturarum, sive an, & quatenus possit DEUS, ejusque perfectiones, cognosci à creaturis; nam quod à seipso perfectissimè seu comprehensivè possit cognosci, nemo dubitat, cum utique intellectus Divinus sua vi cognoscendi, & ipsa etiam cognitio Divina infinita adæquare possit cognoscibilitatem sui ipsius, seu Divinarum perfectionum secum identificatarum. Non autem hinc quæritur, an DEUS à creato intellectu cognosci possit abstractivè ut Unus (an ratione purè naturali, vel quomodo per fidem cognoscatur DEUS ut Trinus, decidendum est in disputatione de Mysterio SS. Trinitatis,) quod

enim DEUS possit abstractivè cognosci ut Unus cum suis perfectionibus necessariis absolutis, clarè insertur ex discursibus, quibus probavimus, DEUM existere, & infinitè perfectum esse: quæ utique de ipso asserere non possemus, nisi eum abstractivè saltem cognosceremus.

170. Sed hic quæritur, an possit cognosci DEUS ejusque perfectiones intuitivè, seu per cognitionem intuitivam, quæ etiam *Visio* vocatur, similitudine desumpta à visione oculi corporis; quia sicut ista immediatè tendit in colorem tanquam suum objectum, ita cognitio illa intuitiva immediatè fertur in DEUM, & illum non in alio tanquam *per speculum*, & *in enigmate*, seu similitudine (sicut nunc in hac vita ipsum cognoscimus ex S. Paulo 1. Cor. 13. v. 12.) sed in seipso immediatè cognoscit. Examinanda sunt insuper modus, objectum, & causæ hujus cognitionis, sive an cognitio hæc sit comprehensiva DEI; an omnia prædicata DEI videatur; an & quomodo lumen gloriæ, species impressa, atque etiam intellectus creatus ad eam concurrat: itaque sit

QUÆSTIO Unica.

De Visione DEI, Modo, Objecto & Causis ejusdem.

ARTICULUS I.

An sit possibilis Visio DEI.

171. **D**ico 1. Defacto datur, adeoque possibilis est visio DEI intuitiva. Conclusio est de fide contra aliquos Armenos, qui asseruerunt, non videri etiam à Beatis, ipsam in se essentiam Divinam, sed tantum lucem quandam, aut claritatem, ab ea derivatam: quem errorem postea etiam Petrus Abailardus, & Almaricus amplexi sunt teste Alphonso à Castro de *heresibus* l. 3. v. *Beatitudo heresi* 1. Prob. concl. *Matth.* 5. v. 8, dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* Et 18. v. 10. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei.* Item 1. Cor. 13. v. 12. dicuntur homines visuri DEUM *facie ad faciem*, & 1. Joan. 3. v. 2. visuri DEUM *sicuti est.* Idem definitum est à Florentino in *Decreto* seu *litteris sanctæ unionis non longè à fine*, ubi dicitur, animas sine reatu mortuas, vel ab hoc in purgatorio emundatas, *in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum DEUM trium & unum.*

172. Quibus verbis nota etiam dici, animas labis puras non debere expectare diem judicii, sed mox ad visionem DEI admitti, contra quàm sensit Joannes XXII. tanquam Doctor privatus, non ut Pontifex; nam in articulo mortis expressè asseruit, se nihil voluisse decidere, sensumque suum Ecclesiæ judicio subijcere: de qua re Belarminus l. 4. de *Rom. Pont.* c. 14. quam veritatem Tridentinum quoque *Sess.* 25. in *Decreto de invocatione Sanctorum* supponit, & docet, dum ait, *Sanctos, unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus DEO offerre, eosdemque æternâ felicitate in cælo fruantes invocandos esse.* Eandem veritatem apertissimè definit Benedictus XI. dictus XII. Successor immediatus Joannis XXII. in sua Decretali, quam de verbo ad verbum refert Alphonsus à Castro de *heres.* l. 3. v. *Beatitudo heresi* 6. ubi